



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Lignum Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiæ**

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

Opinio Eorum Qvi Familiam Habsburgiam Austriam, à Pharamundo Franciæ Rege deducunt. §. ij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38372**

OPINIO EORVM QVI FAMILIAM

Habsburgiam Austriam, à Pharamundo

Franciæ Rege deducunt.

§. ij.

**R**AE CIPVA huius disputationis qua-  
stio hic secesserit, à quibus scilicet fa-  
milia Austriaca nobilissima originem  
traxerit. Nonnullorum enim, qui à  
Pharamundo Francorum Rege eam de-  
ducunt, opinio est quasi communis, quæ ex quadam potius  
assentatione quam quod ueritate subnixa sit, nata est, &  
per manus tradita, ad hanc usque nostram etatem irre-  
fragabilis apud nonnullos perseverat. Huius sententie  
coriphei & antesignani feruntur; Ioannes Stabius,  
Wolfgangus Lazius, Iacobus Spiegelius Selestdiensis,  
& Michael Eysingerus, Austriaci, & quidam alij re-  
centiores non contempnendi scriptores, qui familiam Au-  
striacam Habsburgiam, à Pharamundo Rege Franciæ  
de Patre in filium, adusque Philippum & Rodulphum  
secundos descendere afferunt. Et Stabij quidem in Ar-  
bore Pharamundica Habsburgica, ac Eysingerij in pri-  
mathesauri principum parte, uerba hec sunt:

Nota nonnullos dixisse Albertum hunc Ro-  
dolphi patrem è familia Leonum Romæ ortum  
habuisse, quæ quidem domus Romæ illustrior fuit  
temporib. Summorum Pontificum Alexandri II.

Gre-

190

Gregorij VII. & Urbani II. eratque in monte  
Auentino, non procul à Sabellis sita, in qua tunc  
probati quidam Ciues extitere non mediocris fa-  
mæ Republicæ Romanæ rectores, nominatim Pe-  
trus, Leo, & Petrus, Petrineonis filius. Ex hac dc-  
mo quempiam hominem quam opulentum in  
Ergouia venisse ferunt, ac arcem illic extruxisse  
nomine Habsburgum, quasi Auensburgum, aut  
Auentisburgum, nempè quod Auentinum mon-  
tem Romæ representaret. Et inde Comites ab  
Hasburg, postea Alsatiae Lantgrauios, & dein-  
ceps Imperatores, Duces, Austriaeque Archidu-  
ces, descendisse. Quæ res à vero plurimum di-  
stat, potissimè si attendatur Habsburgum vnde  
illis nomen est, non illud esse, quod in Ergouia  
iacet, verum mons Romaricus nunc appellatur,  
ac diu antequam Hasburgum in Ergouia ere-  
ctum esset, Hasburgum vocabatur, quemadmo-  
dum fundationes, & eiusdem loci dotationes per  
dictos Comites factas in Diui Romarici memo-  
riam, liquidius ostendunt. Qui nempè Comites  
in eius recordationem alterum eiusdem nominis  
in Ergouia construxere. Adiecto quod nominis  
huius Habsburg, mentionem à Roberto Guagui-  
no factam reperietis. In vita scilicet Ludouici  
Cæsar, Caroli Magni filij, à cuius Ludouici die-  
bus, vsq; ad Alexandri Papæ tempora plusquam  
centum & sexaginta anni fluxere. Quantum au-  
tem

tem ad eos Leones Romanos , quamvis in ea re  
Volaterranus , quidamque alij non nihil diuinent,  
notum tamen est id non consentire cum ijs , quæ  
per plurimorum Monasteriorum fundationes , ac  
dotations diuersis Ecclesijs per dictos Principes  
antiquitus factas , simul ac vetustioribus in sepul-  
turis comperiuntur . Potentes enim iamdiu fue-  
rant ab Habsburg Comites , ac regnauerant in  
Ergouiæ , SunKo , Brisgoiæque dominijs , alijsque  
circumiacentibus patrijs , antequam Romæ de  
Petro , alijsque personis memoria haberetur .  
*Hæc illi : Non multò absimilia refert Spiegelius in scho-  
lijis , ad librum primum Poetæ Ligurini , sic inquiens :*  
Nec nos mouere debet quorundam stultitia ,  
suam originem ad Romanos referentium ; qui si  
scirent , nullam in Italia nobilitatem esse , quam  
non Germani eo aduixerint , non haurirent a-  
quam è riulis , ipso fonte contempto . Ridicu-  
lum sanè quod Volaterranus , Diui Maximiliani  
Augusti progenitores , ait fuisse quosdam , ne-  
scio , Perleones Romanos , cum pura puta sit è  
Francorum sanguine Principibus Austriae , Bur-  
gundiæ , Brabantiae , Holandiaeque origo .  
*Et lib. 12. Scholiorum in Austriados Richardi Bartho-  
lini Perusini , eadem ferè repetens , nulla alia verba  
profert , quam , quæ à Volaterrano adferuntur . Hoc  
eorum fundamentum debile , & nullius ferè roboris ,  
non enim hoc loco verbis agimus , sed demonstrati-  
bus ,*

bus, & probationibus: neque testibus hic quicquam tribus, aut quatuor proficitur, cum in contrarium testes longè plures suppetant, neque etiam testibus res agenda sit, ubi veritatem ista, & monumenta declarant, ut in sequentibus videbitur.

**E X P H A R A M V N D I C A E L I N E A E**  
defectu, Lazio non recte Habsburgios  
Austrios à Pharamundo deriuare.

**S. iij.**

**M P R I M I S**, cum omnibus perspicuum sit, ijs maximè qui rebus Gallicis legendis delectantur, Clodioni Capillato, non filios ( à quibusdam enim ijsque potioribus nulli liberi ei attribuuntur, ab alijs vero tribus scilicet, vel quatuor, tres ei fuisse feruntur) sed Merouenum affinem successisse (inter cuius & filiorum Clodionis haeredes perpetuum, & implacabile odium exarsit per annos 300. & amplius, usque ad tempora scilicet Pipini Brevis, Caroli Magni patris, qui rectam lineam ab ipso Clodione trabelbat) non potuit hæc familia à Pharamundo recta linea perduci, sed potius à Meroueo; falsitatis igitur arguuntur, qui eam à Pharamundo deducunt. Gregorius enim Turonensis Episcopus, Historiorum sui temporis facile princeps, hanc veritatem lib. 2. cap. 9. aunalium Francorum his confirmat uerbis:

c Clogio